



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Purgatoru poenæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XXXIX. PURGATORIUM.

§. I.

Afferitur, & probatur.

Spiritu S. & igni. Matth. 3. 11. Origenes hom. 24. in Luc. accipit ignem purgatorii. q. d. Christus suos Fideles cum peccatis venialibus descendentes expiabit igne purgatorii. Cornelius hic.

Qui in Spiritum S. peccaverit, non remittetur. Luc. 12. 10. Matthæus addit c. 12. 32. non remittetur neq. in hoc seculo, neq. in futuro. Ex quo aperte colligitur, purgatorium esse; & peccata in alio seculo remitti. Nam si nullum peccatum in futuro seculo remitteretur, superfluo sermone usus fuisset Christus, apponendo, *neq. in futuro.* Stella hic.

Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis &c. 1. Cor. 15. 29. Baptizantur, scilicet metaphoricè baptismò afflictionum, lacrymarum, precum &c. ut suffragentur animabus purgatorii. Hòc sensu sæpe alibi accipitur baptismus: ut Marci 10. 38. Luc. 12. 50. Pf. 31. 6. Cornelius hic.

Deinde pro defunctis SS. Patribus, & Episcopis; denique pro omnibus, oramus, qui inter nos vitâ functi sunt; maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio, sancti illius, & tremendi, quod in altari positum est, sacrificii. S. Cyrilli. Jerof. Catech. myst. 5.

§. II.

Purgatorii pœna.

Ille purgatorii ignis durior erit, quàm quidquid potest pœnarum in hoc seculo, aut cogitari, aut videri, aut sentiri. S. Cæsarius Arel. hom. 1.

Pœna purgatorii, quantum ad pœnam, damni, & sensus, excedit omnem pœnam istius vitæ. S. Vinc. Ferr. f. 3. D. 1. Adv.

Sicut Mundus debuit mundari, & purificari, per aquam tempore Noe, sic etiam Deus ordinavit duo diluvia ad purificandum animas: scilicet diluvium aquæ baptismalis, ad refrigerandum fomitem culpæ originalis, secundum diluvium ignis purgatorii: quia post baptismum refrigeramur, & efficitur negligentes. Ubi anima baptizatur ab Angelo bono, ut determinat S. Thomas: quia Diabolus jam victus est per illum, qui ducitur ad purgatorium; idè victus non debet incarceratione victorem. Id. f. 1. Dom. 4. Adv.

B. Veronica de Binasco V. febr. laboravit ex visione purgatorii. Bollandus 13. Jan. •

§. III.

Motiva juvandi animas purgatorii.

Ex Vesperis, & Novo.

Benedictus sit à Domino: quoniam eandem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit & mortuis &c. Ruth. 2. 20. dixit Noëmi de Booz.

Da partem septem, nec non & octo. Eccles. 11. 2. Nonnulli per septenarium accipiunt pauperes viventes; per octonarium defunctos degentes in purgatorio. q. d. da elemosynam pauperibus viventibus in septimana hujus vitæ; da & defunctis, qui ex hac vita transierunt ad purgatorium; ubi expectant octavam felicitatis aeternæ. Cornelius hic.

Facta collectione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium &c. 2. Mach. 12. 43.

Adveniat regnum tuum. Matth. 6. 10. Et in ista eadem petitione pro illis oramus, qui sunt in purgatorio. S. Edmundus Cant. Spec. Eccl. c. 17.

Ubi duo, vel tres, congregati fuerint in nomine meo. Matth. 18. 21. Tunc Clerici congregati sunt in nomine JESU; quando procurant honorem DEI, & salvationem animarum viventium, & defunctorum. S. Vinc. Ferr. f. 7. Dom. in Alb.

Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Marci 16. 1. Fœminæ ferentes unguentum ad unguendum Christum mortuum, mortuorum meminisse nos docent. Illa corpus ungerere volebant unguentis corporalibus; nos animas in purgatorio unguentis spiritualibus, id est, precibus, elemosynis, sacrificiis, ungamus. Imitemur Pammachium, de quo Hieron. in consolat. ad eundem: cœteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, florèque purpureos: Pammachius ossa veneranda elemosynæ rigat balsamò. Barradius t. 4. l. 8. c. 6.

Tulerunt ergo lapidem. Joan. 11. 41. Post Christum virtus, & Lazarum à sepulchro, sic & sepulchri lapidem simul tollere; sed maluit id operis aliis mandare, quod & ipsi fecerunt. Cur hoc maluit Dominus? quia defunctorum levamen possunt, ac debent, vivi homines procurare. Et sanè parvis laboribus nostris ingentes defunctorum labores possumus tollere. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 37.

Ex Patribus, & aliis.

Sic plena misericordia ostenditur, si non solum vivis in hoc Mundo, verum etiam morte oppressis, & in tenebrosis abyssi recessibus sedentibus, dimissionem prædicaverit. S. Cyrill. Alex. l. 11. c. 3.

Latius debet &c. cor Christiani, quàm cœlum & terra, in benevolentia: quia recipere debet vivos, & mortuos, de paradiso, & purgatorio. S. Vinc. Ferr. f. 7. Dom. 16. Trinit.

Exempla.

B. Catharina Bonon. dicere solebat, quando cupio ab æterno Patre gratiam aliquam impetrare, recurro ad animas purgatorii, ut meò nomine apud ipsum legatione fungantur; atq; interventu earum me exaudiri sentio. Bolland. 9. Martii c. 12.

Post